



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XVII. Obiectionibus in cap. 13. propositis satisfit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

ut hæc ad nouam culpam imputentur; non satis est quod gratia carentia ex prior culpa, quæ voluntaria fuit, processerit, quia effectus subsequens ad culpam, non imputatur ad nouam culpam, nisi fuerit præuisus, vel potuerit, vel debuerit præuideri, & per negligentiam non fuerit præuisus: non oportet autem ut illa subsequens mala ita fuerint præuisa, & quamuis fuissent, prior culpa inde fuisset aucta; postea vero non committeretur noua culpa, quia noua voluntas libera non intercedit.

41.
Expediunt
ultima obie-
ctio de cul-
pa infidelita-
tis.

Vnde ad quartam & ultimam obiectionem de culpa infidelitatis, vel infidelitate negatiua, respondemus negando sequelam. Nam licetis, qui ad vltimum rationis peruenit, non faciat quod in se est, sed peccet contra legem naturæ, & obeam rem à Deo non illuminetur, poterit nihilominus à noua culpa infidelitatis excusari, quamdiu de fidei doctrina nullam noticiam fuerit consequutus, quod est esse infidelem negatiue. Quia licet in re ipsa posuerit impedimentum gratiæ, ipse omnino & inuincibiliter ignorare potuit, quod illa culpa, quam contra legem naturalem committeret, futura esset impedimentum gratiæ, quia hæc inquam in cognitionem eius ascendit, & ita noticiam illud quod ex illo peccato in eum redundauit, non fuit præuisum, ac proinde nec voluntariū, nec culpabile, ideoque ignorantia fidei semper manet inuincibilis, ac negatiua tantum. Vnde consideratè aduertendum est, aliud esse simpliciter imputari huiusmodi infideli, quod careat auditu fidei; aliud verò esse hoc imputari ad specialem culpam infidelitatis. Nam hoc posterius non est in vniuersum verum, ut declarauit: illud autem prius simpliciter verum est, quia verè & in re ipsa infidelis suis peccatis ponit impedimentum gratiæ, & ita voluntate sua facit id quod est impedimentum, licet rationem impedimenti in tali voluntate & actione ipse non agnoscat, quæ ignorantia satis est ut à speciali culpa infidelitatis excusetur, non tamen obstat, quominus impedimentum ipsum sit voluntarium, sicut potest quis, cum accedit ad Sacramentum, non recipere effectum, quia ponit obicem gratiæ, & nihilominus non peccare denuo, quia inuincibiliter ignorat, vel non aduertit obicem, & similia exempla obuia esse possunt.

CAPITULUM XVII.

Obiectionibus in cap. 13. propositis satisfit.

His quæ hætenus diximus, satis explicatus manet sensus, in quo prima sententia cap. 12. relata, intelligenda sit, ut admitti possit, & aliquorum Scholasticorum verba, quibus libero arbitrio plus quam oporteat in dispositionibus ad gratiam tribuere videtur, vel pie interpretanda si fieri potuerit, reicienda esse, ut iterum tractando de iustificatione, & de dispositionibus ad illam, necessariò dicendum erit. Vnde si argumenta secundæ opinionis cap. 13. relata tantum edenderent, ut ante auxilium supernaturalis gratiæ nullum eius meritum, vel ratio motiua ex parte liberi arbitrij admittatur, ad illa respondere non oporteret, quia nobis contraria non essent. Quia verò auctores illius opinionis, vel plus intendunt, vel omnia inuoluunt, & simpliciter negant legem illam dandi gratiam homini facienti quod in se

est, ideo necessarium ducimus illius opinionis argumentis, quatenus doctrinæ nostræ obuiare possunt, satisfacere.

Primum sumebatur ex frequenti admiratione Augustini, quod in causa æquali Deus quoddam vocet, & non alios: vel etiam in inæquali iniquitatem potius vocet, quam minus malum, cuius causa proidentie diuine nullam rationem putat dari posse ex parte hominum, sed tantum ex Dei libera voluntate, quod non ita esset si Deus statuisset semper dare gratiam facienti, quod in se est, sed in primis respondemus, hanc doctrinam Augustini non repugnare cum illa lege, & principio in eo sensu intellecto, quem nos explicamus, verumtamen coniunxit D. Tho. lib. 3. contra gentes c. 159. & 161, nam in hoc vltimo tradit hanc doctrinam Aug. dicens interdum Deum ex abundantia bonitatis suæ, eos qui gratiæ sue impedimentum præstant, gratia sua præuenire, non tamen omnes similes ita præuenire, ut gratiam & misericordiam suam liberalem ostendat, nec huius discriminis esse aliam rationem inquirendam, præter simplicem Dei voluntatem, & nihilominus in cap. 159. docet quod homo Dei gratia non præuenitur, ipsi imputari, quæ etiam est doctrina Augustini, ut supra allegauit, & ex illa sequitur aperte Deum dare suam præuenientem gratiam homini facienti quod in se est, in sensu à nobis explicato. Igitur ex mente Augustini & Thomæ illa doctrina huic axiomati non repugnat.

Dicemus enim in primis doctrinam Augustini in illo argumento allegatam frequentissime ad eod. tradi de gratiæ efficaci, non de gratiæ sufficiente absolute sumpta, & prout nunc de illa tractamus. Hoc patet ex eisdem locis Augustini. Nam in dicta q. 2. ad Simplician. a medio fore vique ad finem in hac ponit mysterium gratiæ, quod in multis vocatur eo modo, quo aptum erat eis ut venirent. Ad alios autem ait, v. v. ratio quidem peruenit, sed quia talis fuit, quæ non moueri non possunt, ut eam capere appetissent, vocati quidem ex merito, dici potuerunt, sed non electi. In vtriusque ergo ponit vocationem, diuersitatem autem in hoc constituit, quod vni datur vocatio congrua, alteri tantum sufficiens, cuius rationem præter diuinam voluntatem ignorare se dicit. Et de eadem inæqualitate vocationum loquitur lib. de spirit. & hier. cap. 34. cum ait. Iam si ad illam profunditatem scrutandam quæquam nos coarctet, cur illi ita suadet, ut persuadatur, illi autem non ita, duo sola occurrunt interim, quæ respondere mihi placeat. O altitudo diuinitatum, & quænam iniquitas apud Deum? Cuius responsio ista displicet, quærat de diuina. Supponit ergo August. in illa quæst. omnes suaderi, quod pertinet ad sufficientem gratiam; quoddam verò persuaderi, quod efficacem gratiam spectat, quæ aliis, qui non persuadentur, non datur: & in hoc ponit admirationis causam. Denique eundem sensum indicauit Augustinus in illa celebri sententia; Cur hunc trahat, illum non trahit, nolui iudicare si non vis errare. Nam trahere a quod Augustinus gratiam efficacem significat, & in eodem sensu tractat eandem quæstionem Epistol. 107. a medio.

Secundò si velimus sententiam illam & doctrinam August. ad sufficientem gratiam extendere, in hoc etiam maxime cernitur, quia siue facientibus gratia quod in se est, siue non facientibus, non æqualis concedatur, sed quibusdam maior, aliis minor, pro arbitrio Dei, siue facta hominum æqualia sint, siue inæqualia. In hoc sensu loquitur Augustinus lib. 1. de peccat. merit. cap. 22. vbi proponit duos homines, alterum ab ineunte pueritia modestum, moderatum, &c. alium flagitiosum, & facinorosum cooperum, & nihilominus maior gratia illi, quam illi datur. Non dico (inquit) ut iste credat, ille non credat, (quod pertinet ad inæqualitatem in gra-

ia efficaci, sed ut iste audiat, quod credat, ille i. n. audiat, quod spectat ad inaequalitatem in sufficienti gratia. Ad utrumque vero gratiam tam efficacem, quam sufficientem pertinet, quod idem Augustinus lib. 2. de peccat. merit. cap. 13. dixit, Cur autem illum adiuvet, illum non adiuvet. adiuvet illum tantum, illum autem non tantum, istum illo, illum isto modo, pensipsum est, & equitatis tam secreta ratio, & excellentia potestatis. Cum hac autem merè voluntaria distributione gratiae, tam efficaci, quam sufficienti, stat optimè certa lex, ut facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam, quia per hanc legem, ut diximus, non obligatur Deus ulli dare gratiam, nisi facienti quod in se est, nec dare aequalem omnibus facientibus quod in ipse est, nec dare tantam, vel tantam gratiam facienti quod in se est, ideo nec dare statim, nec citius quam non facienti quod in se est, nec etiam tardius, quam alteri plus facienti, sed solum Deus non negare aliquo modo sufficientem facienti definiuit facienti quod in se est, quæ lex non tollit omnem aliam

Negat Dei libertatem.

Ad secundum argumentum negamus ex illo principio, ut à nobis explicatum est, sequi, opus aliquod factum ex solo libero arbitrio esse initium fidei, vel salutis, quia licet ante primam gratiam possit aliquis facere aliquid boni naturalis, ratione cuius dicitur facere quod in se est, illud bonum opus non est initium salutis, quia nec est meritum, nec dispositio ad auxilium supernaturale, sed est tantum remouens noui peccati obicem, quod posset gratiam impedire: & ideo nullo modo est ratio, propter quam datur gratia, sed ex mera Dei misericordia datur, præsertim cum in homine supponatur originale peccatum, ratione cuius est talis gratia indignus, sicut etiam per Sacramentum datur gratia homini tantum attrito, non ex vilo merito, nec dispositione ex se sufficiente, ut infra videbimus, sed merè gratis, & nihilominus infallibiliter ex lege à Deo statuta propter Christum datur.

Ad primam autem instantiam, quæ in eodem argumento fit, quia facere quod in se est, non potest esse conditio requisita ad gratiam, quin sit ratio, propter quam datur, respondetur in primis illam non esse conditionem sine qua non datur gratia, quia multis datur non facientibus quod in se est, sed solum est conditio sine qua Deus non tenetur ex vi illius legis, vel vniuersalis redemptionis Christi gratiam conferre, ut supra notauimus, & ideo cum Deus dat gratiam facienti quod in se est, non dat intuitu operis eius, sed intuitu Christi & misericordiae suæ, quia statuit beneficium illud omnibus non ponentibus obicem conferre. Ex quo etiam alia ratio sumitur, quia bonum opus si factum non inquit positum, (ut sic dicam,) in gratiam, sed in hanc negationem resoluitur, quod obicem non ponit sola autem carentia obicis non est propria ratio gratiam obtinendi. Et ita non habet locum altera instantia ibi facta, faciemur enim, sicut in prædestinatione non datur ratio eius, nec conditio sine qua non, ita nec in collatione primæ gratiæ. Non potest autem fieri comparatio in conditione requisita ad obligationem promissionis, quia Deus non promittit prædestinationem sub aliqua conditione, sicut promittit omnibus sufficientem gratiam. Quod si fiat comparatio inter preparationem totius gratiæ, quæ datur prædestinatis cum preparatione primæ gratiæ sufficientis, prout ad omnes homines extenditur, respondetur in hoc tantum seruari similitudinem, quod neutra voluntas, seu præparatio habet causam ex parte hominum, sed ex sola misericordia Dei: diuersam verò rationem in hoc inueniri, quod præparatio gratiæ prædestinationis est

absoluta, & per decretum efficax, altera verò vniuersalis præparatio auxilij est conditionata per voluntatem tantum inefficacem, seu antecedentem, quantum est ex parte Dei, vel si per hominem non steterit, ideoque ad primam gratiam prædestinationis nulla ratio, vel conditio expectatur, quæ non sit ab ipsa prædestinatione. Ad primam autem gratiam sufficientem quæ non prædestinatis datur, potest requiri conditio non ponendi obicem, quia potuit Deus decernere non aliter eam dare aliquibus pro sua libertate.

Vnde cum dicitur eandem esse rationem de primo gratiæ auxilio, quæ de tota prædestinatione, respondetur id esse verum de primo gratiæ auxilio quod ex propria prædestinatione procedit, non verò de primo gratiæ auxilio quod ex generali voluntate saluandi omnes homines confertur. Cuius ratio est, quia gratia propria prædestinationis est gratia efficax, quæ non est promissa omni facienti, rationis gratiæ quod in se est, sed ex sola Dei voluntate præparata est, quibus datur, ut libro sequenti videbimus, & Dei voluntate præparata quibus datur. ideo vel in eis non prærequiritur ut faciant quod in se est per auxilium ordinis naturalis, vel illa etiam dantur congrua & efficaciter ex vi prædestinationis, & ita respectu totius prædestinationis non habet locum illa conditio, quia illam etiam auxilia ex vi electionis & prædestinationis præparantur, quia prædestinatio non solum est radix beneficiorum gratiæ ordinis naturalis, imò etiam naturalium beneficiorum, quæ ad supernaturalem hinc cum effectu conducunt, ut in prima parte ostensum est: vnde etiam fit, ut licet omnes prædestinati facturi sint, quod in se est, & quod oportet ad salutem, nihilominus non ideo prædestinati sunt, quia facturi sunt, sed prædestinantur ut id faciant. Aliud vero est de prima gratia tantum sufficiente, quæ datur non prædestinato, nam illa non est absolute præparata omnibus hominibus, sed generatim tantum sub conditione, dum modo non ponant obicem, & multi non implent conditionem, & ideo tali gratia perpetuo carent: Alij verò implentes conditionem, illam recipiunt, non tamè efficacem, sed tantum sufficientem, quia non ex prædestinatione recipiunt, nec aliter erat promissa, & nihilominus in eo quod aliquid boni faciunt, dum id, quod est in se, faciunt, aliquid beneficium congruæ cogitationis vel gratiæ ordinis naturalis omnino gratis, & sine illa præcisa conditione accipiunt, quod tamen non ex propria prædestinatione, sed ex generali providentia, vel natura, vel gratiæ dimanat.

Prædestinatio quid.

Et ita etiam procedit, quod in eodem argumento additur de vocatione, quod nulla eius ratio, vel conditio præuia postulat ex parte hominis, est enim id verum maxime de vocatione efficaci, de qua loquitur Augustinus in locis ibi allegatis, ut ex dictis in primo argumento constat. Et eodem modo loquitur Prosper, agitenim de bona voluntate pia & conferente ad salutem: de vocatione autem sufficiente supernaturali, quæ generaliter omnibus offertur, verum est multis non offerri, nisi sub ea conditione, & ideo non dari, quia impedimentum ponunt. vnde si isti conferantur cum aliis non ponentibus obicem, quibus talis vocatio datur, licet utrique prædestinati non sint, aliqua ratio reddi potest illius comparationis, cur illis non datur sicut istis, scilicet quia illi posuerunt impedimentum: absoluta verò ratio cur istis datur, non potest dari nisi ex parte Dei & Christi, quia sola carentia obicis non est ratio obtinendi gratiam, ut dixi: præterquam quod etiam illud quod isti faciunt, ut non ponant obicem ex peculiari beneficio Dei præparatis illis vel cogitationem congruam naturalem, si tam facile sit opus, ut illa sufficiat, vel gratiam aliquam specialem naturalis ordinis efficacem etiā,

seu congruam ad illum proximum actum. Vnde hoc ipsum, *facere, quod in se est*, quatenus est à Deo voluntarie prae paratum, nullam habet propriam rationem, vel conditionem ex parte hominis; etiā si non ex propria praedestinatione conferatur, sed ex vniuersali prouidentia naturae, vel gratiae quia modus etiā & ordo talis prouidentiae; omnino gratiae est à Deo institutus & ordinatus, sine vlla causa, vel conditione absolute prauiſa, ex parte hominis; & ideo omne particulare bonum inde proueniens ad homines ex pura Dei misericordia, licet non sit propria gratia, nisi ad prouidentiam supernaturalem pertineat, vt supra dictum est.

Ad tertium respondemus ex dictis facile patere posse sententiam à nobis explicatam longissimè à Semipelagianis distare; illi enim dicebant hominē posse suo arbitrio aliquo modo se prae parare suis viribus ad gratiam, & ita aliquale meritum in operibus naturae ponebant respectu gratiae & vocationis supernaturalis; & consequenter cogeatur dicere infusionē primae gratiae non esse liberalem donationē, sed aliquam retributionē, quae omnia constant ex dictis in lib. 1. & supponuntur aperte in testimonio ibi allegatis, quae superflue contra catholicam sententiam allegantur. Nam auctores eius nullum omnino meritum ante primam gratiam ponunt, nec rationem in operibus naturae admittunt, quae mouere possit Deum ad dandam gratiam per modum dispositionis, vel congruae petitionis; vel aliquid simile. Nec etiam ponunt illam legem per modum pacti conditionati, inter Deum & nos, sed per modum liberalis misericordiae iam decretae & statuae à Deo, quod si in illa aliquod pactum interueniret, est respectu Christi Domini tantum, & respectu illius etiam potest esse vera iustitia in tali donatione, non quatenus sit peccatori, sed quatenus sit Christo, & est retributio meritorum eius, non recipientis.

Ad id super tantum abesse, vt hic modus offerendi gratiam omnibus facientibus quod in se est, diminuat rationem gratiae, seu gratuita donationis, vt potius limet & angustet, (vt sic dicam) liberalitatem Dei in hac vniuersali gratiae largitione. Nam certe liberalius ageret Deus cum hominibus, si propter Christum absolute & sine vlla conditione decreuisset omnes in particulari sufficienter, & proxime vocare ad fidem, etiam si ex parte ipsorum hominum peccata prae cederent, & multiplicarentur, quia hoc modo ad plures talis gratia perueniret. Nunc autem, quia effectus ita ostendunt non ita decreuisse, & circa aliquos ita se gessisse, quia illos vocat, etiam si nihil fecerint boni, sed potius multa peccata commiserint, alios vero propter peccata non ita vocare recte intelligimus circa priores liberaliorem extitisse Deum, & hanc esse vnam ex profunditatibus prouidentiae eius, quam Augustinus saepe miratur. Ergo signum est, quod promissio gratiae sub illa limitatione faciendi quod in se est, ad eum finem tantum posita, vt homo non ponat impedimentum gratiae non minuit rationem gratiae in ratione doni gratuiti, sed facit vt tale donum gratuitum non tam effuse communicetur. Ideoque quando Deus differt per aliquod tempus hoc donum, non expectat ipsum hominem, vt aliquid faciat, quo gratiam promereatur, vt Semipelagiani putabant, sed potius homo expectat Deum, vt sui mereatur, quia Deus suo arbitrio, & ad ostensionem gratiae suae differt gratiam, suam quando & quantum vult, & nihilominus ab homine exigit vt interim impedimentum non ponat, quod rigoris potius est, licet iusti, quam liberalitatis.

Promissio gratiae ad quem sine posita.

Differt Deus gratiam suam in quantum vult, pro suo arbitrio.

Argumentum quartum.

Quartum argumentum non indiget noua solutione, cum enim ostensum sit, non esse contra rationem gratiae, vt certa lege offeratur omni facien-

ti, quod in se est, ad non ponendum obicem eidem gratiae; manifestum est legem, vel promissionem factam dicto modo propter merita Christi non pugnare cum gratia Christi, imò esse maxime meritis & muneribus eius consentaneam. Nam cum ipse sit vniuersalis Redemptor quoad sufficientiam, debuit omnibus mereri & obtinere sufficientia auxilia gratiae ad salutem, & remissionem peccatorum obtinendam, sed non obtinuit, vt omnibus adultis actu darentur talia auxilia, cum hoc non fiat, ergo obtinuit saltem, vt darentur omnibus non ponentibus obicem, & consequenter, vt omnibus offerrentur, sub ea saltem conditione, si facerent quod in se est, ne tactum eiusdem gratiae impedirent. Nec dubitari potest, quin totum hoc poterit cadere sub merito Christi: nam potius illa de se sufficientia erant ad obtinendum, vt omnibus etiam iniquissimis & rebellibus darentur talis gratia, de facto autem propter rationes diuinae prouidentiae occultas, noluit merita sua ad hoc absolute obtinendum ordinare, sed cum illa tantum limitatione, vt satis declaratum est. Neque ex hac lege in dicto sensu lata, sequitur hominum faciem quod in se, debere ex vi talis legis, vt iam satis declaratum est, quia solum respectu Christi includit lex illa debitum iustitiae, respectu vero hominis peccatoris ex sola misericordia; certa lego decreta propter Christum datur.

Ad quantum negatur sequela, nimirum gratiam esse pedissequam liberi arbitrii, seu obedientiae humanae, quia licet possit aliqua bona operatio naturalis antecedere non solum naturam, sed etiam tempore infusionem primae gratiae excitantis; nihilominus illud bonum opus non est meritum, nec ratio obtinendi talem gratiam, sed solum desiderium ad non ponendum illi obicem. Hoc autem non satis est, vt dicatur gratia subsequi ex naturali bono vsu liberi arbitrii nec vt gratia dicatur esse pedissequa obedientiae humanae nam, haec verba significant consequentiam causalem, id est, vt gratia sequatur ex obedientia humana, vt ex ratione & merito vel aliqua causa eius, quod verum esse non potest, nec sequitur ex dicta sententia, sed solum sequitur, quod secundum ordinem temporis, ante impulsum supernaturalis gratiae praecedere possit aliquis bonus motus naturae, & quod hic motus possit esse necessarius ad non ponendum obicem gratiae, quae iusto iudicio Dei pro aliquo tempore interdum differtur, & quando postea datur ei, qui obicem non posuit, ex pura misericordia datur, non quia sequatur, vel debeatur propter opus eius. Testimonia autem in illo argumento allegata de operatione pia, & meritoria aliquo modo apud Deum supernaturalium donorum intelliguntur, vt lib. 2. late diximus, & de illis verum est, nec ordine naturae, seu causalitatis posse procedere gratiam, sed subsequi, quia non sunt causa proximae gratiae, sed effectus; & consequenter etiam verum est nec ordine temporis posse tale opus prius gratiam antecedere, cum causa debeat prius existere, quam effectus. Vnde ad vltimam rationem ibi positam, facile etiam respondetur ex dicta sententia non tolli necessitatem gratiae praeuenientis, nam haec semper necessaria est ad opera pietatis, & meritoria apud Deum, etiam si aliquod bonum opus naturale possit sine illa & ante illam praecedere. Quia tale opus nec tollit necessitatem praeuenientis auxilii, vt veram rationem gratiae in eo impediatur, nec denique tale auxilium dicitur praeueniens, quia ante illud nullum bonum opus praecedere possit, sed quia nullum opus pietatis, seu quod possit esse meritorium, vel ratio talis auxilii, illud potest antecedere, quod autem praecedat opus iuuans solum ad non ponendum obicem

obicem tali auxilio, nec necessitatem eius tollit, nec aliunde repugnantiam, vel aliud inconueniens inducit.

Ad sextum, in quo inferebatur Deum expectare voluntatem hominis, iam latè responsum est in capite præcedente, negando sequelam, quia potius homo expectat voluntatem Dei, quam Deus expectet voluntatem hominis; nam per legem illam non negandi gratiâ facienti quod in se est, non obligatur Deus (ut dixi) ad non dandam gratiam; si velit, homini nondum facienti, quod in se est, sed etiam facienti contra id, quod facere potest & debet, sed solum non obligatur dare suam gratiam excitantem ponenti obicem, sicut sæpe id faciat, & ideo re vera non expectat voluntatem hominis. Quod si interdum differt conferre talem gratiam, non est, quia expectet voluntatem hominis, sed quia non tenetur dare illam, quam citissime potest, & pro suo arbitrio disponit tempora in quibus daturus est illam; interim tamen, dum illam non confert, non vult ex parte hominis impedimentum, quod magis pertinet ad rigorem & gratiæ restrictionem, quam ampliationem, ut declarauimus; ideoque licet Deus aliquibus differat gratiam conferre, & tandem illam eis conferat, si non ponant obicem, faciendo quod in se est, non ideo in eis ratio gratiæ destruitur, quia nunquam datur ex operibus eorum, ut putabant Calsianus & alij Malsilienses, sed dat ex vniuersali misericordia sua, quia vult omnes homines saluos fieri. Illa ergo argumenta impugnant rectè illam propositionem intellectam in sensu Semipelag. qui erit propriè sensus causalis, scilicet quia homo facit per liberum arbitrium quod in se est, id est, aliquid boni, ideo Deus illum supernaturaliter vocat, seu dat illi primam auxiliantem gratiam supernaturalem, non verò impugnant illam intellectam in sensu purè conditionali, in quo conditio nullam rationem meriti, vel causæ includit, sed solam obicis gratiæ negationem, ut satis declaratum est.

C A P I T U L U M XVIII.

Quid Augustinus senserit de sufficienti auxilio, an omnibus adultis datur.

Quamuis in superioribus capitibus definitum sit, Deum ex parte sua dare omnibus hominibus adultis auxilium actuale sufficiens ad salutem, & interdum doctrina Augustini id confirmauerimus; quia verò eius auctoritas in hac præcipuè materia magna est, & aliqui contendunt, longè aliter illum sensisse; necessarium visum est, hoc punctum separatim tractare, mentemque Augustini diligenter inquirere, ut veritas, quam ostendimus, non solum auctoritate eius non obscuratur, verum potius confirmetur.

Primum ergo Augustinus videtur interdum docere post lapsum Adæ, negare Deum omnibus reprobis auxilium sufficiens. Primum testimonium sit lib. 1. de corrept. & grat. cap. 11. vbi distinguens duplex auxilium, vnum quo homo possit saluari, si velit, id est sufficiens; aliud, quo non solum possit, sed etiam velit, id est efficax, subiungit illud prius datum esse primo homini in statu innocentie, & Angelis etiam malis in sua creatione. Aliis (inquit) quoniam non talis natura facta erat, ut sine diuino adiutorio posset permanere, si vellet; non utique sua culpa recessissent. Adiutorium quippe defuisse, sine quo ma-

nere non possent. & adiungit: Nunc autem quibus deest tale adiutorium iam pena peccati est. In quibus verbis aperte docere videtur, nunc propter peccatum originale aliquibus non dari adiutorium, quo possint saluari, si velint, id est sufficiens. Qui autem illi sint, explicat, dicens: Quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum; & tanto amplius datur per Iesum Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit, ut non solum adsit sine quo permanere non possumus, etiamsi velimus, verum etiam tantum, ac tale sit ut velimus. in quibus aperte declarare videtur, solis prædestinatis hominibus dari gratiam, qua possint saluari, & velint? aliis verò neutram dari, nam quibus datur (inquit) gratia, qua possint, si velint, datur etiam ut velint: ergo è contrario quibus non datur ut velint, nec etiam datur gratia, qua possint, si velint.

Secundò sumitur argumentum ex variis locis Augustini, in quibus significat eos, qui non conuertuntur, ut respondere & saluari possint: at si talis fuit eorum vocatio, profectò non est sufficiens, quia ut sit sufficiens, oportet ut saltem det posse. Ita verò loquitur q. 2. ad Simplicianum. Ad alios (ait) vocatio quidem peruenit, sed quia talis fuit, qua moueri non possent, vocati quidem dici poterunt, sed non electi. Simili modo lib. de prædest. Sanct. cap. 6. ait, Multi audiunt verbum veritatis, sed alij credunt, alij contradicunt, volunt ergo isti credere, nolunt autem illi, qui hoc ignoret, sed cum alius preparatur, aliis non preparatur voluntas à Domino, discernendum est utique quid proveniat de misericordia, quid de iudicio. Vbi videtur in Deum causam non credendi reducere, nimirum, quia illis non preparatur voluntas à Domino: quibus autem non preparatur voluntas, profectò auxilium sufficiens non datur, nam voluntas non preparatur nisi per auxilium præueniens, & excitans; habens paratum auxilium adiuvans ex parte Dei: totum autem hoc includit auxilium sufficiens; ergo his, quorum voluntas non preparatur, nec auxilium sufficiens datur. Vnde capite octauo ait, qui non veniunt ad Patrem, non doceri ab illo, nam si audissent, ait, & didicissent, venirent. Vnde simili modo subiungit inferius, quos docet misericordia docet, quos autem non docet, iudicio non docet. At qui non docetur, profectò non recipit auxilium sufficiens, ut discat, & credat, nam sine doctrina nemo potest discere; & similia sæpe reperit in illo capite, & alia multa habet in lib. de bonor. perseverant. Vbi in cap. 3. notanda sunt illa verba, Non itaque in hominum, sed Dei est potestate, ut habeant homines filios Dei fieri, ab ipso quippe accipiunt eam, qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeat fidem qua per dilectionem operatur. Nam in his verbis significat, potestatem filios Dei fieri, non omnibus dari, sed tantum electis, per auxilium autem sufficiens ex sententia Augustini solum electis datur. Et hoc confirmat cap. 14. inter alia dicens de his qui non credunt, sed quoniam ut crederent, non erat eis datum, etiam unde crederent est negatum. & infra, si à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur, vel dicta, vel facta per qua possent credere, si audirent, utique talia, vel viderunt. Non datur ergo illis auxilium, quo possint credere. Hoc autem est auxilium sufficiens; ergo eis non datur.

Tertio augetur eadem difficultas ex his & aliis locis, in quibus sentit non posse sufficientem red-dirationem ex parte hominum, cur ex pluribus audientibus Euangelium hic ita suadet, ut persuaadeatur, & ille ita suadet, ut resistat, ut præter citata loca videre licet lib. de spirit. & liter. capite 84. dicta quæst. 2. ad Simplician. & Epist. 107. ad Vitalem, & sub nomine Augustini lib. de prædest. & grat. capite 15. & aliis sæpe allegatis locis, ubi semper recurrit ad occulta Dei iudicia, & ad verba Pau-

2.
Secunda
difficultas.

Difficultas
tertia.